



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Armachano Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

latui nostro patenter innotuit quòd venerabilis frater noster Carnoten. Episcopus quadam indulgentia quasi à sede apostolica impetrata, quam de conscientia bonæ memoriæ C. prædecessoris nostri vix credimus emanasse, contra te uti præsumit: per quam tibi subtrahitur iurisdicção absolvendi eos qui ab ipso sunt excommunicationis vinculo innodati, nisi prius sub examine dilectorum filiorum Columbensis & sancti Germani de pratis Abbatum discussum fuerit utrum ipsi excommunicati de jure sint absolvendi, propter quod honori tuo & dignitati Ecclesiæ tuæ non modicum præjudicium generatur. Volentes igitur tuis & Ecclesiæ tuæ gravaminibus, prout convenit, obviare, præfatam indulgentiam penitus irritantes, nullas vires habere decrevimus, quominus in hoc jus metropoliticum valeas exercere; dantes prædictis Abbatibus firmiter in mandatis, ut auctoritate illius indulgentiæ vel aliquarum literarum super hoc directarum ad eos, procedere de cetero non præsumant. Datum Lateran. nono Kalend. Aprilis.

ELECTO, DECAN. ET
magistro Nicolao de Levennes
Canon. Cameracen.

Epist. 62.
Ut in literis
transmissis eisdem
de causæ cogitione
inter Præmonstraten.
& Prumiens. Ecclesias
vertitur super
possessionibus
de Hanapia, sublequens
clausula præcedenti
clausula præponatur.
Cap. Causam
quæ. de Rescriptis.

Causam quæ inter Præmonstraten. & Prumiens. Ecclesias super possessionibus de Hanapia vertitur, discretioni vestræ commissis meminimus sine canonico terminandam. Sed quia in literis illis animadvertimus fuisse insertum quòd si alterutra partium legitime citata præsentiam vestram adire vel iudicio parere contemneret, vos nihilominus præsentis partis probationes recipere, & quantum de jure possitis, in causæ cogitione ac decisione procedere minime tardaretis; Nos volentes ut clausula illa quantum de jure poteritis, quæ antequam de probationum receptione mentio fieret, fuerat inferenda, clausulam illam de probatione receptionum præcedat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam intelligentes ibidem, in eadem causa juxta tenorem literarum illarum procedere non tardetis; attentè proviso, ut si literarum auctoritate priorum in eodem negotio legitime est processum, firmum & stabile perseveret. Alioquin, si occasione clausulæ memoratæ aliquid consti-

terit in alterutrius partis præjudicium attentatum, id viribus decernimus cariturum. Volentes nihilominus, & mandantes, ut in decisione ipsius negocij (sicut præmissum est) tam super principali quam super incidentibus quæstionibus appellatione remota canonicè procedatis. Nullis obstantibus literis præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quòd si omnes &c. Datum Lateran. xij. Kalend. Aprilis.

ARMACHANO ARCHIEPISC.

Volens fraternitas tua per responsionem apostolicam edoceri, humiliter à nobis expetiit, utrum mulieres statim post partum debeant Ecclesias ingredi, vel ab earum ingressu per dies aliquot abstinere. Licet autem secundum legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu: quia tamen lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est; nos sanctorum patrum vestigiis inhaerentes, taliter tibi duximus respondendum, quòd postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas evangelij, si mulieres post prolem enixam acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne poenam illis in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. Datum Laterani.

AVERSAN. EPISCOPO.

Fratribus & Coëpiscopis nostris in his quæ rationabiliter & honestè requirunt, apostolicum libenter imperitum assensum, & commissarum eis Ecclesiarum necessitatibus utiliter providemus. Eapropter venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, ac sequentes Canonum instituta, quicquid in Ecclesia vel diocesi Aversan. in promissionibus vel concessionibus præbendarum & beneficiorum factum est per potentiam laicalem, cassatur.

Epist. 61.
Quòd mulieri
post partum
acturæ gratias
non est Eccle-
sias aditus de-
negandus.
Cap. 1. De ju-
rificatione post
partum.

Epist. 64.
Ve quicquid in
Ecclesia vel
diocesi Aversan.
in promissionibus
vel concessionibus
præbendarum
& beneficiorum
factum est
per potentiam
laicalem, cas-
setur.